

05

A

2352





Ex Practicâ Philosophiâ

de

FORTITUDINE,

Duce DEO & Preside

M. MICHAELE WENDELERO

Schlettano, Alum. Electorali & Facult. Philos.

Adjuncto,

publicè disputabit

GEORGIUS JACOBUS Schûke

Noricus

die 26. Junij in Auditorio Minori

horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, ACAD. TYPOGR.

ANNO M. DC. XXXIX.

V I R I S

Amplissimis, plurimum Reverendis, Consul-
tissimis, Prudentissimis atq; Doctissimis:

Dn. Andreae Burckardo, U. J. D.
& Illustrissimi Celsissimiq; Principis Dn. Dn. Eber-
hardi Ducis Württemberg: & Teccens. nec non Comitis Mon-
tispelgardens. & Henidenheim Vice - Cancellario di-
gnissimo:

Dn. Jacobo Martini, SS. Theol.
Doctori, Professori primario, ejusdem Facultatis &
totius Academiae Seniori, Templi cathedralis ad arcem
Præposito & Consistorij Ecclesiast. assessori:

Dn. Jacobo Schützen, J. C. Com.
Palat. Solisbaccens. ut & aliquot statuum Imperij Con-
siliario: nec non Reipublicae Francofurt. ad Moenum Advo-
cato & Syndico:



Dn. Cognato, Hospiti ac Parenti suo omni filiale
observantia cultu perpetuo colendis ac honoran-
dis in sui commendationem has studiorum
Academicorum Primitias

dicat & consecrat

G. J. S. Respondens.

05 A 2352



Thesis prima.

*Fortitudo est virtus moralis, quæ servat mediocritatem circa terribilia & fiducia-
lia.*

ΕΝ ΤΕΤΙΣ.

1. Fortitudo non sumitur hîc Physicè pro robustis corporis viribus, sed Ethicè, non pro quâcunque generali animi firmitate, sed speciali pro eâ, quæ ex habitû secundum rectæ rationis præscriptum justè, cautè & Opportunè circa formidabilia operatur.

2. Objectum primarium sunt terribilia, quæ dicuntur mala subjectum destruentia. Hæc autem non unius sunt generis. Quædam enim audiunt simpliciter mala, quædam neutro modo se habent. Priora (ut sunt infamia, omne scelus ejusque pœna) omnes homines metuant. Posteriora diverso respectû metui & non metui debent. Timorem nobis incutiunt, horum ubi existimus artifices : si verò citra nostrum eveniunt meritum, deridenda sunt, quòd à fortunæ infeliciois arbitrio dependeant.

3. Pari modo & terribilia differunt. Quædam (ut sunt fulmina, tempestates, tonitrua &c.) sunt supra hominem, ita ut in hæc homo nihil virium, quibus vel sustineri, vel removeri possint, habeat. Nonnulla (ut paupertas, exilium, morbus, mors denique ipsa) sunt secundum hominem, quòd citra reprehensionem hominis animû non perturbent; hos enim strepitus, omnesq;

alios iniquioris fati fragores vir bonus non magis extimescat, quàm Panicum terrorem.

4. Secundarium objectum constituunt fiducialia, hoc est, omnia ea, quæ requirunt animi confidentiam. Hujus farinae dicuntur esse labores, molestia, vigilia &c. quibus quandoque est resistendum. His ne, ut verba Virgilij faciamus nostra, cede malis, sed contra audentior ito. Ita nominantur, quòd Fortitudo magis circa ea, quæ metum, quàm quæ confidentiam gignunt, versetur.

5. Verùm præter hæc specialius venit evolvendum objectum, videlicet mors, circa quam vir fortis vel ob Dei gloriam, vel salutem, eamque vel publicam vel privatam non ob causas privativas, sed positivas versatur.

6. Cùm autem mors multis modis obvenire queat, utpote ex bello, naufragio, morbo, supplicio, aut alio aliquo modo, hoc ipsum objectum variat, ita ut mors quandoque morte dicatur illustrior. Sic vir fortis, qui vel affixus lecto vel naufragio interit, quodammodo fert molestè mortem, quòd virtuti factisque præclaris locus non detur. Contra mors magis pulchra magisque honesta, quam pro patria, parentum ac liberorum defensione vir sustinet bonus: cum primis ea, quæ subito in repentinis periculis advenit. Nam constantia, quæ minus habet præparationis, magis est ex habitu. Honestissima mors est pro religione & Christi nomine vitam perdere. Martyres fortissimi salutantur viri: horum enim mors est laudatissima; quia sanguine suo coelestem confirmant doctrinam.

7. Mors bellica, quamvis suo modo sit magna, sit pulchra atque illustris, maxima tamen & difficillima non est,

est, si ad illam, quæ est martyrum conferatur; hæc enim magis morte bellicâ afficit & corpus & animum. Id stabilimus pronunciatum ex magnis doloribus & conviciis. Non multas horas, sed dies, sed integros menses excruciantur. In bello quamvis plurima occurrant mala, nunquam tamen talia, cum ibi aut citò mors veniat, aut victoria læta. Accedit, quòd martyribus omnis levaminis spes auferatur. Nullum enim evadendi locum aut viam, sed præsentissimam vident mortem. In bello spes evadendi est maxima ob dubium Martem, qui modò ad hanc, modò ad illam inclinat partem.

Theſis ſecunda.

Actus Fortitudinis ſunt aggredi & ſuſtinere.

Ex fortis.

1. Hi de fortitudine pronunciantur conjunctim, quatenus vir fortis utrumque præstat pro ratione circumſtantiarum, & quemadmodum viri prudentis judicium hoc ſuggerit. Nam quia prior absque poſteriori non ſatis facit, poſteriorque virtutem arguit alicujus imperfectionis, ſequitur, utrumque in Fortitudine eſſe conjungendum.

2. Ad hos actus requiruntur & alia; nimirum Confidentia, Magnanimitas, Patientia & Perſeverantia: non tanquam partes, ſed tanquam quedam requiſita, cum ſine his Fortitudo exerceri nequeat. Ut animus præparatur, opus eſt Confidentiâ, quæ actum Fortitudinis ad res magnas aggrediendas promovet, redditque alacriorem. Magnanimitas pro certo fortitudinis actû accepta ad operis adminiſtrationem requiritur, ne animus in negotio, quod ſemel aggreſſus, ſuccumbat. In ſuſtinen-

A 3

do

do oportet adsint Patientia & Perseverantia: Illa (quatenus diurnam arduarum rerum denotat perpeffionem) ne animus ob mala frangatur, hæc (prout in quâdam permanfione difficilia fuffinendi confiftit) ob diurnam rerum difficiliû propenfionem, ne inceptum deferamus.

3. Perfeverantiâ tamen non obftante, fortis quandoque fugere poteft, ubi ex ipfius fugâ nullum eft expectandum damnum. Præftat hîc fuga fibi falutem quærere, quàm instanti hofti victas manus unâ cum fanguine tradere ne ex fortis viri interitû Respublica aliquod capiat detrimentum. Moriendum eft, fi hujus fugâ patria prodatur, Resp. deferatur, leges violentur, infamia attrahatur, & juniores ad fimilem invitentur ignaviam.

Thesis Tertia

Fortitudo in ferendo potius, quàm inferendo cernitur.

Ἐκθεσις.

1. Hinc ut adftipulemur thefi, thefi nos impellit prima. Qui enim afferit, bellicam mortem martyrum effe ignobiliorem, fatebitur idem, Fortitudinem magis in ferendo, quàm in feriendo cerni; quia in martyrio nullus vindictæ locus, & vis depellendi exquisitiffima tormenta, adeoque tota martyris actio in ferendo confiftit.

2. Quidam adhibent quandam diftinctionis temperiem. Honoratius eft, ajunt, res magnas gerere, fed non eâdem animofitate mala fuffinere. Ergò quæcunque actio difficilior, in illâ magis cernitur Fortitudo.

Thesis

Thesis quarta.

*Difficilius est res secundas, quàm ad-
versas moderatè ferre.*

Ex Jecis.

1. Intelligas adversa animi fortunæ, non corporis. Ubi enim fortuna nobis blanditur, & quasi virgulâ divinâ suppeditat omnia, difficillimum est, mediâ incedere viâ ob tacitam voluptatis insinuationem; quia hoc modo fit, ut à modestiâ ad insolentiam, à circumspectione ad incogitantiam plerumq; ducamur: inprimis, quòd his illecebris non totus homo, sed recta tantùm ratio, imò & hæc agrè, contrà eat. Contrà si res adversæ animi & fortunæ hominem circumvallant, animus elatus deprimitur, inflatus contrahitur, exorbitans in vitam reducitur; vexatio enim dat intellectum, nosq; clypeum post vulnera, ut cum Poetâ loquamur, sumimus.

2. Corporis adversa & secunda quod attinet, in hi seest ordo contrarius. Nam hîc difficilius est adversas, quàm secundas moderatè sustinere. Hæc enim naturam destruunt. Ut ut sit, hoc tamen addendum, utrobiqu; fortunam fieri illustriorem, quæ in malis, seu corporis sunt, seu animi, conspicitur.

Thesis quinta.

Vir fortis injuriam patienter fert, affectuumq; capax est.

Ex Jecis.

1. Vir fortis & propulsat & fert in jurias, ita tamen, ut omnes circumstantias, quas vir prudens prudenter ponderat, attendat. Excludimus tamen injurias, quæ honesti

nesti viri famam labefactant. Hic quidvis aliud potius
ipsi ferendum est, quàm hoc. Vir enim prudens scit,
verum honorem à veræ virtutis meritis originem tra-
here, veramq; infamiam à flagitiis dependere. Injurias
quasdam forti viro esse ferendas patet. Nam qui seipsum
vincit, majorem fortitudinis laudem meretur, quàm,
qui fortissima, ut ait Ovidius, moenia. Idem adstruit op-
positum. Si enim ille, qui alteri injurias infert, imbe-
cillis audit, fortis est iste, qui quandoque quandam in-
juriam modesto declinat silentio.

2. Affectus quoque, ut sunt, metus, dolor & lacru-
mæ, ut reliquis, ita & viro conveniunt forti. Non enim
est Marpesia cautes, aut continuò in saxum, ut Niobe,
mutatur. Timet, quia timor est naturalis affectus, qui
per se omni homini, ut animali, adpropriatur. Dolet
mortem, quia dolor ex naturæ necessitate sensus sequi-
tur. Dolet & delectatur. Prius fit respectu officiorum
virtutis, quæ amplius Reipublicæ non potest præstare;
posterior intuitu finis, qui est honestas. Ita & lacrumæ
ob causam decent ipsum eandem. Quæ omnia tamen
dicuntur determinatè, ne vel ex nimia animi dejectio-
ne oriantur, vel sint sine modo, aut vilissimas ob causas.

Thesis sexta.

*Vir fortis hostem quandoq; fallere, & ci-
tra levitatem consilium suum mutare &
potest & debet.*

Ex JEON.

1. Priori geminus inest sensus. Nam vel quæri po-
test, num licitum sit, stratagematibus fallere? vel, num
injuramento hosti præstito dolus sit adhibendus? Quoad
prius,

prius, quandoque pellis vulpina assuenda est, quò leo-
nina non pertingit: tunc maximè, quando dolus fidei
atque integritati non contrariatur. Minus enim san-
guinis sic effunditur, quàm quando res aperto geritur
Marte. Imò Deus ipse hunc bellandi modum & præ-
scribit & præcipit. Dolus verò, qui belli jura, pacta
& juramenta violat, illicitus est; quia honestati & Deo
est contrarius.

2. In posteriori quæstione distinguimus inter jura-
mentum vi extortum & voluntarium. Quidam prius
non esse servandum statuunt. Utrumque affirmant
sacri codicis antistites, quibus & nos nostrum meritò
addimus calculum.

3. Citra omne alicujus levis animi indicium ali-
quod consilium mutare tum potest tum debet, cum
nemo tam Lynceus, qui nihil offendat, nunquamque
incurrat, seu ipse hoc videat, seu admonitus ab alio
agnoscat, se in consulendo aliquid humani fuisse pas-
sum. Maximè hæc consilij mutatio laudatur, si aliud
Resp. postulet. Sic etiam summæ tum stultitiæ, tum
pertinaciæ crimen effugit, cujus accusatur, si urget id,
quod vel in nervum erumpit, vel in mala desinit gravis-
sima.

Thesis septima.

*Fortes non sunt illi, qui sibi ipsis ex despe-
ratione quâdam ac vite tædio violentas
inferunt manus.*

^{ἐκ θένος,}
I. *Autoluxurias* plurima sunt genera. Sunt enim vel
delirij & phrenesicos: vel desperationis: vel ultionis &
vindi-

vindictæ: vel præcipitantiæ & temeritatis. Phreneticos
Theologiæ patribus relinquimus. Catonem Uticen-
sem, Neronem, Didonem, Cleopatram aliosq; *αὐτοφά-*
νοὺς ab Ethnicis supra modum laudatos nomine hoc pri-
vamus.

2. Nam viri fortis non est in miseriâ atq; imminen-
tibus periculis, ut modò citati fecerunt, animum abji-
cere, sed timidi & abjecti. Non obtemperant hujus fa-
rinæ homines rectæ rationi, quæ jubet, ut ex hac vitâ
non fugiamus, sed vocante Deo, qui nobis animam de-
dit, non pervim extrudendam, exeamus.

3. Vir fortis, ut priores theses docebant, subit mor-
tem, sed dignis modis. Pugnavit Ajax, sed furor incita-
vit: pugnavit Catilina, sed ambitio impulit: mortem
elegit Cato, sed futura pericula instigaverunt: mortem
Cleopatra, sed dedecus ipsius dextram armabat: mor-
tem Dido, sed amoris impatientia adegit.

4. Ita nec sunt excusandi, qui, ubi sciunt, sibi, si vi-
vant diutius, horrendos cruciatus, turpissima quæque
ludibria & supra horrenda ferenda, hæc mala volunta-
riâ morte antevertunt. Non enim vis illata, sed volun-
tas animo & corpori has adspersit maculas. Nec obstat,
inter duo mala id, quod levius, graviori esse anteferen-
dum, cum nullum malum gravius sit propriâ culpâ. Hæc
ne admittatur, pessima quæque sunt toleranda. Hi au-
tem propriam in se derivant culpam, dum malis gravio-
ribus ea, quæ minora sunt, intercipere volunt.

5. Sed majorem virtutis speciem habent Curtij & Lu-
cretiæ facta. Curtius adolescens, ut Livius refert, & eques
Romanus, oraculi responso admonitus, in magnum ter-
ræ hiatus se præcipitem dedit, hocque facto patriam à
peste

peste liberavit. Omnes Ethnici huic heroibus annu-
merant viris; adiit enim praesens periculum Deorum
iussu, ut patriae laboranti succurreret. Sed nos merito
damnamus; quia in gratiam Diaboli mori planè illici-
tum esse scimus. Lucretia vel fuit in culpa, vel non. Si
prius, poenam aliunde debebat praestolari: si posterius,
quaerimus, cur sibi immerenti poenam irrogaverit?

6. Cleombratus Ambraciota cum legisset opus Pla-
tonis de animae immortalitate, ex muro se in mare praeci-
pitavit ob magnam secutus a vitae felicitatem. O spu-
rium exeundi modum! Quorsum haec festinatio? vo-
luptas haec si differtur, non aufertur. Aliud restat Latium,
aliique campi Elysi, quos Plato ignoravit.

7. Ethnica haec sunt, quibus, tanquam explosis, valedi-
cimus. Quid putamus esse faciendum isti, qui a Magi-
stratu ad *αυτοχρησίαν* damnaretur? Huic mandato non
esse obtemperandum, cum praecipiat id, quod naturae
est contrarium.

8. Num isti *αυτοφόνου*, qui, igne in pulverem tormen-
tarium coniecto, seipsum simul cum hostibus occidunt,
sint excusandi, disputant. Speciosae rationes id videntur
affirmare: 1. exemplum Samsonis, qui columnis, quibus
domus innitebatur, sublatis, se una eum hoste intere-
mit. 2. autoritas publica, qua hi milites muniuntur:
cum primis verò ubi nulla apparet spes victoriae & pa-
triae, cui militant, bonum potius est spectandum, quod
in ruinam hostium consistit, quam malum, quod in ho-
stium potestatem venientibus perferendum foret. Quid
de Samstone, aliisque sic statuendum, vide Ethicam Horneij
p. 376. & seq. Caetera ex prioribus uno spiritu diffusi
possunt,

Thesis

B 2

Thesis

Fortes non sunt, qui duello congregiuntur: neque ignavi, qui provocati duello sese non sistunt.

En Jeros.

1. Non intelligimus ea duella, quæ ex publico pacto ad bellorum compendium indicuntur. Tale annotavit scriptura, quod fuit inter Davidem & Goliathem. Ita Turnus apud Virgilium Æneam, fato profugum, his provocat verbis: *Alterius nostro dirimatur sanguine bellum.* Hoc quamvis de jure sit concessum, non tamen semper conducit. Nam cum plerumque magis exercitatus vincat, Reip. maximum imminet periculum. Ergo & hic tutius est provocanti non comparere. Ita superiori seculo laudatus est Carolus V. quod Francisco, Gallorum Regi, pugnam detrectaverit.

2. Nos duellum notamus id, quod aliquis sui honoris defendendi causâ suscipit. Et hoc planè ad Garmandas & Indos relegamus ob malam hujus consuetudinem & pertinacissimam gentis nostræ persuasionem. Sunt enim reliquæ veteris barbariei, quæ gravissimas juris controversias dirimebat, da das Faustrecht in Schwanggienge. Adi Politicam Liebenthals p. 393. & 349. De aliis ut nihil dicamus, quòd hi contra Deum, proximum & semetipsos delinquant graviter.

3. Multò minus posteriores ignavi audiunt, quia parent legibus & magistratui obsecundant. Recusant certamen non timore percussi, sed legum observantiâ ducti, quæ apud cordatos viros honori est omnibus, nemini dehonestamento.

Thesis

Thesis nona.

*Non sunt fortes latrones, qui cruciatus
intrepidè ferunt: neque illi, qui magicis
artibus se reddunt invulnerabiles.*

ΕΝ ΤΕΤΙΣ.

Non priores, quia non sponte & liberè, sed coactè
& violenter, neque pericula decentia, sed turpia, ex tur-
pibus factis orta, non honestatis, sed turpitudinis gratiâ,
patiuntur. Posterius artificium non est novum, sed per-
vagatum, impium & diabolicum, tantum abest, ut pie-
tati sit consentaneum.

Thesis decima.

*Fortitudo dividitur in publicam & pri-
vatam.*

ΕΝ ΤΕΤΙΣ.

1. Publica est vel in rebus sacris, quæ docentium &
martyrum est constantia: vel in profanis. Quæ iterum
vel *Bellica* vel *Togata*; quarum hæc in pace munere suo
strenuè fungitur, sed illa in bellis. Privata mediocrita-
tem in vitâ privatâ circa terribilia observat.

2. Hinc sequitur, divisionem Fortitudinis *in civilem,*
militarem, iracundam, fiduciariam & insciam non esse
specierum, sed æquivoci in æquivocata. De nomine
enim participant, non de re. Non *civilis*; quia non est
voluntaria, nec spectat simpliciter honestatem, sed ho-
nores & præmia, vel dedecus aut pœnas. Sequentibus
tamen est præferenda, quia cives magis pensi habent ho-
nestatem, quam fex mercenariorum militum plerunq;
nihili facit. Non *militaris*; quia non nititur pruden-

B. 3.

tiâ,

tiã, neque honestatem, sed spolia sibi proponit. Non
iracunda; quia ab impetû & temerario motû oritur.
Non *fiduciaria*; quia fortis viri confidentia non à per-
suasione, sed recto proficiscitur iudicio. Non *ultima*;
quia omnes causæ virtutis habitum conformantes ab-
sunt: cum primis rectum iudicium, quod hîc est
nullum.

Thesis undecima.

*Fortitudinis extrema sunt Audacia &
Timiditas: Illa in excessu circa terribi-
lia, hac in defectû circa eadem peccat.*

Εκθεσις.

1. Fortitudo duorum affectuum est mediocritas, vi-
delicet metûs & fiducia. E. in utroque suos habet in-
specie & excessus & defectus. Respectû confidentiæ ex-
cessus Fortitudinis est securitas, in defectû desperatio. In
metû à medio deficit audacia, excedit timiditas.

2. *Insania est vitium morale, in excessû peccans circa
fiducialia.* Hujus generis sunt Ovidij *Gigantes*, qui Diis
bellum intulêrunt: *Celta*, qui instructâ acie maris exun-
dantis æstum reprimere conabantur: *Psylli*, qui contra
Austrum, ventum huic populo infestum, armatâ prodi-
bant manû. *Desperatio in defectû circa fiducialia peccat.*
Ad hoc vitium commodè possumus referre metûs ex-
cessum, h. est, *Timiditatem*. Nam justo minus confide-
re nihil aliud est, quàm nimium metuere. *Timiditas
ergò est vitium morale, quod in inexcessû circa metum, in
defectû circa fiducialia peccat.* Exemplo sunt ex profanis
Agamemnon, Menalippus & alij: ex sacris Petrus ad mu-
lieris vocem expavescens. *Audacia in defectû peccat cir-*

ca me-

*ca metum: seu nimium confidit rebus terrorem adferenti-
bus, hoc est, circa fiducialia in excessu delinquit. Inde li-
quet, non injuria in præceptis hæc esse conjuncta. Ob-
servato, audacem forti esse propiorem timido, quia fa-
cilius ad medium reducitur.*

3. Nota, quòd CL. Wolffgangus Heiderus in Philoso-
phiâ Practicâ aliud doceat. Ipsi enim audacia excessus
est in confidendo, & defectus in metuendo: contra ti-
miditas in metuendo excedit, in confidendo deficit.
Cùm verò, pergit idem ibidem, confidere princeps hu-
jus virtutis sit actio, moris est, ut absolutè audacia ex-
cessus & timiditas defectus appelletur.

4. Hæc duo extrema ad omnes veræ Fortitudinis spe-
cies facillimè applicantur. Sic martyrij excessus auda-
cia est, quando quis in his periculis subeundis modum
excedit, & in hæc temerè se injicit. In defectu est mol-
lities, quæ ob mala à religione semelagnità descii-
scit, ut tandem ventrem expleat, domumq;
suam sustentet.

Finis adest; summo gloria summa Deo.

NB. *Thesi tertiâ in Jeros secundâ hæc insere verba:
Honoratius est, ajunt, res magnas gerere: sed adversas
tolerare difficiliter. Et audaculos strenuè cum hoste ma-
nus conferere videmus, sed non &c.*

Ad

Ad præstantissimum & doctissimum Dn. Re-
spondentem, Κυριότατον & familiarem suum
dilectum.

SCHUTZ I, incepta, precor, tibi maximus optimus ille
Fortunet, qui unus dat bona cuncta, DEUS.
Perge tuis cœptis sic Palladis ire per artes
Perge, nec, inceptum quod removetur, erit:
Quin nomen sublime feres, virtute paratum:
Nempe potens patrium laude referre decus.

Jacobus Martini SS. Th Doct-
Prof. prim. Senior, Templi Ca-
thedralis ad arcem Præpositus &
Consist. Ecclesiast. Assessor.

Dum vice jam primâ Cathedram conscendis, Amice,
Doctorum, toto pectore grator ego.
Perge tuo in cursû, capies sudore brabeja
Digna, Patri & Patria commoda multa feres.

Ludovicus Casparus Erasmus
Neoburgo - Palatinus LL.
Studiosus.

F I N I S.

05 A 23521

ULB Halle
003 784 258


3



VD17

8h





VIRIS

Amplissimus Parliamentum Rector in his. Consul

Ex Practicâ Philosophiâ

de

FORTITUDINE,

Duce DEO & Preside

M. MICHAELE WENDELERO

Schlettano, Alum. Electorali & Facult. Philos.

Adjuncto,

publicè disputabit

GEORGIUS JACOBUS Schûke

Noricus

die 26. Junij in Auditorio Minori

horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, ACAD. TYPOGR.

ANNO M. DC. XXXIX.